

83.

Q. B. P.  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O HISTORICO-POLITICA,

GENTIVM,

principue

SVEO-GOTHICARVM

qvod ad

D E C I M A S

JURA EXCUTIENS,

cujus,

Sub MODERAMINE

VIRI CL.

D<sub>N</sub>. ALGOTHI A.  
SCARIN,

Hist. & phil. civ. prof. reg. & ord.

PARTEM PRIOREM,

publico examini fuit

ANDREAS BIRG. SKAREN

W-Goth.

Ad diem XI Decembr. Anno MDCCXLIV.

---

A B O A E,

Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Acad. Typogr.

*VIRO amplissimo atque celeberrimo*  
**DN. NICOLA O  
HASSELBOM,**

*Matrem PROFESSORI regio & ordinario, MÆCENATI nullo non honoris & obseruantæ cultu æternum prosequendo,*

*VIRO nobilissimo*  
**DN. CAROLO ISACO  
RUUTH,**

*Legionis pedestris CENTORIONIBUS maximè  
hodie be.*

*VEstrorum NOMINUM, celeberrimi atque  
mihi ego memet maximum profiteor esse  
cum, qua mihi tribuisti beneficia, grati animi*

VIRO nobilissimo

# DN. ANDREÆ LILIEBRUNN,

Legionis equestris CENTURIONI maximè strenuo:  
ut NUTRITIO olim , ita nunc quoqve fautori & pro-  
moteri piè devenerando.

VIRO nobilissimo

# DN. JOHANNI MÖRMAN,

strenuis , Fautoribus & benactoribus olim &  
aiginissimis.

nobilissimi VIRI & MÆCENATES , mini-  
debitorem. Sed qui retribuam , ignoro plane  
significatione rependi nulla ; modulo certe non

ego meo aliquo, remetiri possum. Quamobrem animo  
aliqua, quam quomodo testari queam, quancum  
dignum memet existimaveritis, in quem benigni-  
opere pretium a mea tenuitate proficisci nil pos-  
**SIRUM** conciliare queam, **VESTRAM** ego fi-  
ut quo olim studio **E** beneficio **PRINCEPS PIE-**  
pit, eodem meam grati animi oblationem hanc  
**SIRIS** adoleri patiamini; cuius si voti meis  
que DEUS beneficia maxima peregrino **E** egeno  
**REMI** eundem, quo ad vixero, precabor etiam, ut  
tatis genere quocunque

Celeberrimorum, Nobilissi-

Clavis 88.

Auctor &

mum non alia meum magis sollicitum habet res  
eo nomine VOBIS obstrictus sum, quod non in-  
tatis Vestrae exemplum statueretis. Verum cum  
sit, quo eundem in futurum mihi genium VE-  
dem obtestor atque solitam humanitatem,  
**RIDUM** decimas gentium non gravate susce-  
ipsam VOS quoque excipere, arisque VE-  
compos fuero, pro ut opera **VESIRA** ministerios  
mihi dispensavit; ita omnis boni **DATO**  
salvos **EY** incolumes duntissime **KOSMETI** felicio  
cumulare velit!

## **morumque Nomina Vestrorum**

卷之三

### **respondens.**

Plur. reverendo atque clarissimo  
Dn. ARVEDO GEBBHARDT,  
*PASTORI* Janackalensium meritissimo, qvavis obser-  
vantia venerando.

Plurimum reverendo atque clarissimo  
Dn. ANDREÆ SILVANO,  
*PASTORI* in Rumbinge longe meritissimo, everte-  
re æternum devenerando.

Plm. reverendo atque clarissimo  
Dn. THOMÆ PACCHALENIO,  
*PASTORI* in Wågo meritissimo, fautori certissimo.

**I**N grati animi munere ob plurima in se colla-  
ta beneficia, spemque ulterioris favoris obtainen-  
di, in moaum decimarum decima, primitias basco  
studiorum suorum, cum omnigena prosperitatis vos-  
to, Vobis, promotores & benefactores optimi,  
dat, dedicat & consecrat.

Plm. reverend. atque clariss. Nominum Vestrorum.

Cultor indefessus  
AND. SKAREN.

Händelsmånerne i Stadestaden Åbo  
Chreborne och Högvälvachade Herrar  
Herr CARL MAGNUS SIERCKEN,

Herr OLOF HERENBERG,

Same

Inspectoren på Harfwalla i Väns

Wålbetrodde och Högvälvachad

Herr HANS NICLAS JOHN,

Samtelige mine Högtährade

Wålgyrnare.

**I** detta lilla merck / jag börja låts at skrifwa  
Hur GUD tågt och gift af älter börjat  
drifwas:  
Hur så wäl hedningar som folck af Juda ått  
Sin tacksamhet mot GUD bewist på sådant sätt.  
Sen


Sen Salem var förstört/ och uppkom Christna lärnan:  
Hur Däfwens clericie den samma rätt och åhran  
Som Levi förrha haft / för sig inkråchtat har:  
Det är det snille werck jag frihet til mig tar

At håra fram för EHR/ som mig ha'n welat ståncia  
Til offers rötkvärck mer, än jag har funnat tåncia:  
Så är om nogot här wör' gjordt/ som mddan wäre;  
Jag intet mer än ER/ ERL egit har förårt.

EER signe GUD i TJD/ och det i långa TIDER;  
Doch när med EDER tid til slut det åndlig liders/  
Så löne GUD igen det goda i mig gjort/  
Mer än båd' I och jag/ i tiden här ha sport.

Högwålvachtade Herrat Handelsmåns och  
Herr Inspectorens  
Mine saintelige Wålghynnares

B  
Hörsamste Tjenare  
AND. SKAREN



## PREFAMEN.

**D**E idoneo velitationis academicæ argumen-  
to, qvod nec fastidio Lectorem adficeret,  
uti tria nimium & vulgaria solent; nec  
adfectatæ novitatis suspicione offenderet,  
*Hoc præsertim de Jure decimandi in Svetbia, non alienū,*  
necq; inconveniens circumspicienti mihi oblatum fuit.  
Etenim sicut decimandi usus multis ante Sinaiticam  
legislationem seculis, temporibus saltem patriarcha-  
rum postdiluvianorum, si non prius, vigere cœpit,  
Idemq;ve ad tempora hæc quoq;ve, in quæ nos re-  
servati sumus, vetusta sive lege sive consuetudine  
apud omnes tere gentes invaluit; ita novitatis non  
facile damnatum iri prælens institutum meum spe-  
gaverim; qvemadmodum in re sterili & proleta-  
riā versari operam, neq;ve facile qvisqvam mihi im-  
properabit, qvi cogitaverit, in modum speciminis  
academicī, ab alio aliquo, ante me, vix ac ne vix  
qvidem pertractatum fuisse argumentum. Instituti  
hujuscē terminum ab initio metamq;ve fuisse, non ne-  
go, commentationem compilare quantulamcunq;ve

A

de

de fatis decimarum in Svetbia; sed manum operi ad-  
moventi mihi, cum plurima sele ingererent, qvæ  
ad nervum rei apprimè facerent, eadem quoque  
perstringere & contrectare à proposito minime a-  
lienum existimavi. Neque enim in promtu mihi  
sunt de decimandi apud Sveogothos jure usaqve  
quidquam commentari, anteqvam in origines &  
fata apud alias gentes, instituti illius ritè inqvi-  
sitem. Cumqve christianismo ortum suum in  
Svetbia debeat decimandi ritus, qvæ apud veteres  
Christianos moris illius initia fuerint, paucis deliba-  
re, ad officium meum quoq̄ pertinere vidi. Spera-  
veram ab initio quidem, fieri a me posse, ut uno, qvod  
dicitur spiritu, conficeretur hoc, qvod prostat, mentis  
curriculum: Sed cū progredienti mihi, & qva fieri po-  
tuit, diligentia excutienti eccl. Svec: gazophylacia hi-  
storica, sele offerrent alia atq; alia, qvæ sine accura-  
tiore examine, saltem designatione qualicunq; eorum,  
mentioneque factâ, transmittere religio mihi  
videbatur: Inde dispartiri pensum meum, ipsa sum-  
ma ratione svadente, coactus sum, & qvæ de fa-  
tis in Svetbia decimarum dicenda supersunt, posterio-  
ribus curis, si volet DEUS, reservare. Velitatio-  
nis propositæ hæc summa, hæc prora atqve puppis  
est, qvam si carpere quisquam velit nomine impe-  
ritiae & agrestis stili, is ipse ætatis immaturæ ad  
maturitatem & perfectiora qvæque adspirantis, ra-  
tionem habeat; imprimis vero provinciam, qvam  
administrandam suscepit, arduam atqve vastissimam  
cogi.

3

cogitet, eandemque transversis tramitibus undequa-  
que sectam. Quamobrem si minus firmo & stabili  
gradu constitutes, aliqua parte declinasse videar, ut  
porrecta manus in justum veritatis tramitem me-  
met reducat, benevolum Lectorem animitus rogo  
& obtestor.

### §. I.

**M**ore eruditorum non nuper scholis recepto,  
& proinde sua laude neque defraudando,  
alterutrius *vocebus*, qvod dissertationis caput & fun-  
damentum est, *etymologiam* in limine excutere ani-  
mus esset: sed cum nullus dubitem, qvin sit illa  
Romanæ lingvæ non penitus ignaro, primo statim  
incuitu in promtu posita, qvid sibi *velint DECIMÆ*  
accuratè magis illud, potioreque jure inqvirendum.  
Fateor, pro ratione temporum & personarum, ad  
qvas olim spectabat *jus decimandi*, aliter atqve ali-  
ter definiri solere. Nobiscum si qvis definire velit  
per qvotam partem ex fructibus & bonis licite  
qvæsitis, Deo & reipublicæ persolvendam: aut si  
qvis cum juris ecclesiastici dnn. doctoribus: *decimas*  
esse velit *portionem fructuum* atqve liciti lucris, DEO  
saltem *præstandam*, dissensum non moramur istum,  
cum qvem de moralitate *decimarum* sensum illi ha-  
beant, qui sic definiunt, & qvibus in acceptis po-  
tissimum referri velint publicum collectandi genus  
illud, in proclivi sit videre. Istis autem, in modum  
*definitionis seu verius descriptionis præmissis*, ad rura  
hæc nostra ab alienis discernenda, proximum est,

vestigia illa curatius rimemor, qvibus ad caput  
atqve ad fontem instituti hujus adrepere datum fu-  
erit. Protecto ante legem *Mosaicam* viguisse morem  
exigendi & conferendi tributi hujus, testantibus ipsis  
sacrarum literarum pandeatis, nemo dubitat. qvo  
autem jure, qva intentione, qvibus, & abs qvibus fo-  
luta omnia primo fuerint collationes haec ipsae, ma-  
gis incertum est. Palato nonnullorum arridet, na-  
tales instituti hujus ab Adamo ejusque filiis repe-  
ttere. Ex illo ordine, exterorum non nemini esse vide-  
tur. consultus nostræ gentis, doct. J. LOCCENIUS (4)  
inductus, uti videri possit, legum Svetlicæ gentis ec-  
clesiasticarum vetere edicto, qvo, ne qvæ pietati  
utili ex antiquitate deesset auctoritas, de ADAMO  
ejusque filio perhibent compilatores sacrificuli,  
qvod sicut SALOMON primus erat, qui templum  
struxerit. Ita hi quoque primi, qui decimas de-  
derint. Verum, papavere ac falso licet sparsum  
videri velit falsamenti genus illud, meras tamen  
tabulas esse, qui calculum ritè posuerit, non è lon-  
ginguo videbit. Dicit S. Sacra, *Adami* filios de fru-  
tu terræ & gregis sui, primitias DEO obtulisse,  
sed quis quælo! inde concludere audet ejusmo-  
di primitias fuisse oblationes, qvales in posteritate  
decimæ fuerint? Dicunt Pontificii quidem juris na-  
turalis esse, & ad externum cultum Numinis per-  
tinere: sed sicut sacrificium Christi verum, qvod  
in novis erat, non nisi à voluntate DEI unice de-  
pendebat: ita de typis & representationibus, qvæ  
jam

jam ante usu venerunt, idem magis dicendum. ABRAHAMUM primum decimas dedisse de spoliis quinque regum MELCHISEDECO, MOSES & una cum illo epistolæ ad Hebræos auctor consentiunt. Sed quæ liberæ voluntatis erant, neq; determinatæ quantitatis: magisq; *voti*, aut si dicere mavis, *Sacrificii eucharisticæ*, quam præstationis & obligationis perfectæ aliquius rationem habuerunt. Est eadem nullis non doctoribus & commentatoribus hodiernis, Anglos nonnullos si exceperimus, recepta sententia: à qua Iudeorum magistri ipsi neq; dissentiunt; agnoscentes *decimas*, quales in posteritate invaluere, stricti & perfecti juris, ab Abrahamo neq; institutas fuisse. (b) erantq; ab eucharisticis *vi* neq; diversi generis *decimæ* illæ, quas in Padanem Syriæ proficiens JACOBUS vovit se daturum DEO, si in dominum patris sui solpes & incolumis reverteretur: Qvibus positis, nempe qvod non *legales* sed *arbitrariae* fuerint primorum temporum decimæ, vanas omnino censendas esse cogitationes non paucorum, qvis non videt? eorum puta, qui constituto peculiari sacerdotio, oblationes illas factas fuisse docent, cum ordo & societas sacrorum distincta nulla, tempore illo, introducta fuerit. Hi vero patriarchæ, Jacobum puta atq; Abrahamum, ut ad illos redeam, utrum primum illi sua sponte mutuq; an vero imitatione aliorum, pia & gratæ mentis lœæ symbola ista conservatori suo DEO consecrarint, doctores inter se dissentiant plurimi. Nobis ne im-

improviso accidat, quod SELDENO Anglo, cum decimis sub novo foedere divinam auctoritatem derogaret, isti controversiae nos non immittimus; Saltem observamus jam olim gentilibus quoque usitatum fuisse, cum prospere ipsis cederent, quae destinaverant, praelertim vero captis & triumphatis hostibus, decimas, seu victimas, ex spoliis vovere & solvere diis suis. Quemadmodum de Pelasgis & Carthaginensibus & aliis, Hercul & Apollini ceterisque diis vota nuncupantibus, auctorum, infinito numero, testimonia prostant. Certe Herculana decuma Romanis olim quoque proverbio nota fuit, qua Hercul decimam rei familiaris partem consecrare homines vanissimi: fore sperantes ut aureis donis ærea sua permutarent, b, e, cum fœnore ea, quæ largiti essent, reciperent. (\*)

(a) de jur. Eccl. s. I. §. I. ubi in notis ad praedictum caput contendit: ex eo, quod Abrahamus Melchisedec decimam dederit, licetum esse suspicari, forsan pro Adamo intelligendum esse Abramum, aut ei substituendum.

(b) apud Joban. Seldenum de Synedr. Lib. I. C. II.

(\*) Plautum vide sis citatum Wolsio comment: in offic. Cicer. p. 543.

## §. II.

**O**lim inter gentes quoque decimas regibus tributi loco solutas fuisse, inter alios observarunt CLERICUS (a) & SPENCERUS. (b) ad quem morem alludere quoque videtur SAMUEL, jus regium explicans. (c) Utrum autem, jure regio, DEUS in populo Israelito

litico eas sibi vindicaverit, tanquam rex in theocra-  
 tia (d) id quod contendit *Clericus*, (e) cum Spes-  
 cero, quorum sententiae *BUDDEUS* quoque adstipula-  
 tur: (f) an vero morem antiquum, quo decimæ  
 consecratæ fuerint, DEUS retinuerit, & in illa so-  
 lemnis juris divini promulgatione *Sinaitica* legis au-  
 thoritatem demum habere jussit, explicatu non a-  
 deo facile, nobisq; scire in præsentia neq; est re esse vi-  
 detur. *Prius* vel inde verosimile fit, quod decimas  
 Iraelitæ hand *jussi* fuerint DEO consecrare aut  
 eas in altari offerre. *Sacrificiis* enim victimæ & aliæ ob-  
 lationes erant assignatae. Quidam, sacerdotibus & Le-  
 vitis in sustentatione, decimas peculiari modo assigna-  
 tas fuisse constat; ut reliqui quidem ex populo ter-  
 ram colerent, partemque, juxta sortem, in divisione  
 caperent; *Levitæ* autem & sacerdotes ab hac divi-  
 sione penitus essent exclusi, ne per agrariæ &  
 pecuariæ rei labores, à cura *sacrorum*, quæ olim  
 satis amplæ & plenæ, neque minoris hodie sollici-  
 tudinis sunt, avocarentur. *Aequum* igitur ac justum  
 erat, ut *Levitæ*, ex sententia & edicto *NUMINIS*, in  
 divisione & distributione terræ promissæ, præteriti,  
 in compensationem hujus iacturæ, ab universo ale-  
 rentur populo, & certam quotam ex fructibus &  
 pecoribus acciperent. in quibus primarios Israelita-  
 rum, ut & ceterorum hodie quoque orientalium  
 populorum reditus consistere satis notum est. (\*)  
 De illis vero *decimis*, quas jure suo, ceu princeps  
 populi, DEUS sibi vindicabat & *sacrorum* mini-  
     stris

8  
stria mox assignabat, in Levitico non obscure agit, cum decimas filiorum Iraelis, qvas DEO in oblationem offerrent, iisdem se in possessionem daturū spondet pro ministerio eorum. (g) Docent autem circumstantiae illæ, has ex lege Mosaica debitas decimas, ab iis, qvæ ab ABRAHAMO oblatæ & a JACOBBO per votum promissæ essent, admodum multum differre, diversumqve finem habuisse; Hæ qvippe DEO offerebantur, ritu sacrificiorum devotorum communī, non illæ, qvas legisterium Molaicum sacerdotibus & Levitis in diversum adscriperat finem. Hæ in qvocunq̄ statu locum habere poterant, non illæ, qvæ statum civilem præsupponunt. Neque enim totus terrarum orbis huic obnoxius factus erat tributo, sed tantum terra Cananæa & Iraelitica. Remanet igitur decimas sacerdotib⁹ Leviticq̄ in constituta Iraelitica republicā, perfecto jure competiisse; non sicut olim, ad arbitrium & placitum, privatim amplius, sed ex necessitate & condicto legis, solutas fuisse, quemadmodum, extincta republica Judaica terrâqve hæreditaria amissa, imo deleto sacerdotio, hos, qvi ex tribu Levi sanguinem ducerent, pristino jure suo penitus excidisse, notum est. Unde, utrum verbi Divini ministris in N. Test. Jure divino decimae debeantur? qvæstio est, qvam, magno animorum motu ordinis literarii & ecclesiastici antistites jam ante tractarunt, nobisqve eandem in fine dissertationis attingere, neque inconveniens erit.

(a) ad Gen. XLII. 34. & XLVII. 28.

(b) in notis ad Selden. diff. I. Sect. I. §. 2.

(c) I Sam. VIII. 15.

(d) Thomasius. ad Lancelotum, in notis pag. 1134.  
videtur. ubi non dubitatur, ad obligationem Juris divini na-  
turalis a DEO explicari, etiam decimas persinere: nec non  
illas ideo solvi debere, quod DEUS fit terrae Dominus di-  
rectus, homines autem sanctum Domini utiles, qdibue  
dominium utile concessisse.

(e) ad Sel'd. differt. cit. 3.

(f) In Hist. Ecol. Vat. Test. per. I. Sect. 3. p. 391.

(\*). Qui eidam Persicam adhuc dum gerit, dominum  
Schack NADIR. a pastore latronem, & ex latrone re-  
gem factum, verum gestarum, qui hodie sunt, commen-  
tarii consentiunt universi

(g) Num. XVIII. 24. Levit. XXVII. 30. 32.

### §. III.

**Q**uomodo decimae in Vet. Test. ex gratia, sed non  
gratis datæ fuerint, audivimus. quomodo ab in-  
viciem separandæ aliis atque aliis, idque diversimo-  
de præstandæ fuerint, ex S. Scriptura hinc inde  
pater; summatim vero in eo constitisse deprehen-  
dimus. Dabatur decimæ, vel decima pars ex terra  
& pecudibus. Ex terræ omni semine, de frugibus  
& arborum fructibus: item oleo & musto, sicibus.  
malogranatis. Ex pecudibus de armento & grege  
conferebantur, non in alios usus vertendæ, quam  
qui in lege præscripti essent. Verum plura fuere  
genera decimarum; Erat prima lors Levitarum, qui  
B bus

bus in vita alimoniam, in laboris mercedem & demum ablatæ hæreditatis compensationem cedebant. Succedebat *decimorum decima*, quam justu di-  
vino (a) ex sua sorte Levites pendebant sacerdotibus, seu verius summo pontifici, ut sui ordinis gen-  
tisque viris ille deinceps distribueret & ex æquo  
communicaret. Ab illa distabat *decima sanctitatis*  
(b) ad celebrationem festorum, coram arca fœderis,  
solvenda. Ne de tertii cuiusque anni *decimis* quid  
dicam, qvarum vetus lex institutionem continet,  
& qui in illam commentati sunt utriusque ecclesiæ  
doctores, crebram mentionem insciunt.

(a) *Num. 18. 28.*

(b) *2. Chron. 31. 6.*

#### §. IV.

**Q**uo tempore & quorum ministerio, provisu-  
que *decimæ* ad novi testamenti ecclesias per-  
venerint, de eo doctores maximopere dissentient.  
certe non satis liquere, in ceteris conferri meretur  
*HERNDLE.* (a) Sunt, non nego, qui amissa licet  
hæreditate & extincto vetero sacerdotio, tamen in-  
stitutiones prioris ævi atq; fœderis non omnes aboli-  
tas celeri volunt, præsertim, quæ spectant *commo-  
da sacerdotum*; eoq; intuitu decimas, jure & rigo-  
re eodem, quo a Levitis olim, in N. Test. ab *epi-  
scopis & presbyteris* postulari & exigi debere, saltem  
exigi posse putant. Sed cum in tabulis authenticis,  
ijsdemque coævis translati in N. Test. sacerdotii,  
juris illius mentio nulla facta inveniatur, *sopbisma po-*  
*litio-*

sticū illud ad seqvioris arti & ecclesiæ traditiones omnino referendum esse, nostrum non facile qvisquam amplius dubitat. Nusquam enim **SALVATOR.** nullibi apostoli hoc inculcarunt dogma, neqve patres ecclesiæ primitivæ necessitatem præstandarum agnoverunt decimarum, licet ex statu Ver. test. argumentando, studia fidelium excitare voluerint, ut ad imitationem populi Israeliticæ liberaliores essent in erogandis bonis in pauperum sustentacionem. qvin, factum quoque fuit, auctori bus & Iustoribus illis; ut si inter illos, qui nascentis ecclesiæ sacra curarunt, essent aliqui opis alienæ omnino indigentes, alii à membris ecclesiæ, quantum latis esset, alti fuerint atque sustentati plurimi, ne fidelibus graves essent, aut religionis obtentu, collationes, aliis usibus, præsertim vero pauperum sustentationi destinatas, ad se trahere velle viderentur, manuum opere & artificio quoque sibi spæque domui panem, neqve nisi quotidianum compararunt. **Decimarum** nulla adhuc mentio facta fuit. Visitarunt, una cum cetero clero, qui ecclesiis præerant, ex oblationibus spontaneis fidelium, teste in apologetico non **TERTULLIANO** locum, sed & vitæ **Augustini** compilatore **Posidonio**, ne quid de **AMMIANO MARCELLINO**, ceterisque antiqvitatibus ecclesiæ promis condis ævi illius, dicam, quorum vel in eundem sensum conspirans vox est, aut purum putum silentium.

B 2

§. V.

( a) Vid. Werndle cancell. Brix. in suo singulari tractatu von Behendrecht.

## § V.

**A**B illo sincero, puta apostolico **xvo**, facto trans-  
cursu ad seqventia secula, apparet IRENAEUM  
seculi secundi patrem itemque CYPRIANUM Sec. III.  
episcopum Cartbarinensem, licet nulla sub notione  
aut legis aut poenali sanctionis adhuc mentionem ta-  
men injecisse veteris sub lege instituti, crebram, e-  
amque gratiae atque devotionis plenissimam, quam  
*hortulatur* fratris amularentur. Scilicet quemad-  
modum decimas ex fructibus olim percepisset ve-  
tus sacerdotium; ita hominum, qui plura & majora  
aceperissent, esset nunc etiam decimare omnia sua,  
eademque ad dominicos usus libere & hilariter con-  
ferre. Tertio labente seculo, primitiae a nonnullis sol-  
vebantur clero, presbyteris hortantibus. Inter o-  
mnes ORIGENES hoc argumentum magis alta voce  
& constantis animi fiducia ursit, observantibus vi-  
ris Cl. FLEURIO (a) THOMASSINO (b) BASNAGIO (c)  
aliisque. Diferta sunt verba ORIGENIS: (d) Decet, in-  
quit ille, utique est, etiam sacerdotibus evangelio offerre  
primicias. Ita enim Dominus disposuit, ut qui evangelium  
annunciant, de evangelio vivant, & qui altari deserviant, do-  
aleari quoque participant. Et sicut hoc dignum & decens  
est, sic est contrario indecens & indignum existimo, ino-  
mipiuni, ut is, qui DEUM colit & ingreditur ecclesiam DEI,  
qui sunt sacerdotes & ministros assistere altari & ante vero  
bo Dei, aut ministerio ecclesias detergere, us de fructibus  
terras, quos dat DEUS, solemo suum producendo & pluvi-  
o super ministrando, non offerat primicias sacerdotibus.

Dionis

Non videntur ejusmodi animi babere memoriam Dei, nec cogitare quod quia, DEUS dedit, fractus illos cepit. Non diffitendum patres improvide egisse in reducendis decimis ex Vet. Test. Ea enim factum fuit demum, ut universum sacerdotium legislationis Moysae & instituta tantum non omnia, cum omni apparatu & iuribus suis pedetentim ad sacra sua traxerint nostri de ecclesia homines. Scilicet aperata temel porta, fractoque inter utrumq[ue] fœdus, pariete intergerino, infinita juris veteris instituta recoquere, & sub lege necessitatis, sine examine debito, fidelibus ausi sunt obtrudere. Atque illorum fide nituntur, qvotq[ue] in posteritate ad ordinis sui jura, decimarum omne genus penitus & omnino referri volunt. Cum tamen patrum ivaloriae istæ illud qvod probandum erat, non evincant, sed quid privatim illi sentierint, qva in primis ratione sibi suisq[ue] fratribus benignè fieri voluerint, saltem mentionem injiciant. Interim qvod constitutions attinet apostolicas, qvibus ritus Levitici in ecclesiam investi heujus antiquitatem probare solent pontifici, pro fabulis & commentis sequioris ævi non nostri solum, verum etiam qui in illis cordatores sunt & doctiores habent universi. Inter alios, qui supra quam dici potest, majorem canonibus hilce auctoritatem conciliare volunt. BARONIS Cardinatus est. Imo, qvæ de primitiis dixerat Origenes, decimis quoq[ue] accommodanda esse omnino urget. Verum Bargio deus, ad decimas perinde atque primi-

mitias solvendas, Christianos ab Origene incitatos fuisse. Vi legis, certe, cui obnoxia foret ecclesia, primitias decimascj oblatas esse, negamus & pernegamus. Liberum hoc pietatis opus fuit, qvod perpetratum suæ laudis haud expers fuit, omisso censurâ caruit. Sic Hierosolymitanis integrum fuit domorum distracta pretia ad pedes apostolorum deponere. Qui ea liberalitate erant, illi suum ferebant honorem. Id totum arbitrio voluntatis permisum esse, PEIRUS ipse docuit Actor. cap. V. 4 sic perfidum compellans Ananiam: *Nonne si servasses, Tuum tibi manisset, & nonne venundatum in tua fuisse potestate?* Dicit PAULUS qvemvis operarium mercede sua dignum esse, & qui altari assideat, eum ex altari participare debere. Id qvidem pie, si de moralitate beneficiorum ecclesiasticorum, qvæ pro opera & labore debentur, sermo fuerit. Verum in desuetudinem abire iusto vetere instituto, qvamlibet sacrificandi ceremoniam partim abolitam, partim retentam fuisse, sine præjudicio veritatis, vix ac ne vix qvidem affiri posse videtur. sed erit de moralitate decimarum, qvemadmodum modo diximus, in fine opportuñior dicendi locus.

(a) dans l' histoire eccl. Tom. II. p. 162.

(b) de Pet. & nov. eccl. discept. P. III. L. I. c. 3. §. 9.

(c) Toms. II. diff. V. de decimis §. X.

(d) in Numer. bonis. II.

### §. VI.

**P**atrum, qvorum jam ante treminimus, ceterorum.

rumque, ut puta *HIERONIMI*, *AUGUSTINI* aliorumque argumenta, itidem magis monita erant, quam testimonia de praxi illius temporis, Conciliorum edicto aliquo comprobata. Conatur id quidem evincere L. *THOMASSINUS* in suo de vetere & nova ecclesiæ disciplina, commentario: sed si ex ceteris curis & operibus ejus, hujuscemlibri pretium fuerit estimandum, apud protestantes certe admodum non bene audit; postquam pristinum illud sapientiae genus; promiscue omnia credendi & fingendi, eviluit, & scholis eorum exterminari coepit. Secundo IV. adulto & præcipiti, testante *BASNAGIO*, nomen *decimarum* & res simul in ecclesiam ingreditur. Sed de necessitate solvendarum, hoc seculo, decimorum, etiamnum silent concilia, quæ non præteriissent hoc argumentum, si patres arbitrati fuissent legale esse hoc tributum, idemque universale & propterea omnibus omnino imponendum esse. *Canones Arabici* C. Nicæni 1, apud *HARDUINUM* (a) de primitiarum necessitate præceptum habent, ut ex iis sustententur sacerdotes & ecclesiæ ministri. Eos vero esse sublestæ fidei, plus quam manifestum est, nec alias unquam ecclesia orientalis novit canones *Nicæenos*, quam quos codex canonum universæ ecclesiæ exhibet. Interim primitias jam in quibusdam ecclesiis, ex hac patrum doctrina in usu fuisse docent patres *Gangrenses* in epistola synodica, anni c. N. 325, apud Harduinum. (b) In qua Eustathio patriarchæ Antiocheno hoc criminis dant, quod primitias fru-

gum ecclesiasticas, qvas institutio veterum ecclesiarum tribuit, sibi vindicaverit. Sed ab illis, ad generali decimarum praxin, nullum argumentum neci validum, nec assertum patrum *Gangrenium* universalem ecclesiae observantiam evincere potest. Tamen hoc seculo labente, bene multos Christianos, pastorum suorum admonitionibus adductos, decimas dedisse non male existimam⁹, licet more quodā follemini nondum fuerint solutæ. Prodeat *CONSTANTINUS* ille magnus, qui cumulatis supra modum beneficiis & legibus, verum iisdem parum providis atque cautis, de ecclesia bene meritus est. *Frumen-*  
*tarium canonem* dedisse scimus, decimas ne-  
scimus. qvarum si, publice fuissernt imperatæ, non  
aliter ac canonis frumentarii, meminisset historia. Neqve legitimus *JULIANUM*, *Apostolam* vulgo dictum,  
decimas episcopis eripuisse, quod procul dubio per-  
fecisset, si more institutoque publico tributæ fuis-  
sent. *Constantini frumentarium canonem* abstulit,  
sed quem *JOVIANUS*, qui immediate successit, post-  
liminio reddi imperavit & in integrum restitui.

(a) *Tom. I. concil. p. 510.*

(b) *cit. l. p. 530.*

### §. VII.

**V**estigia quædam de decimis, in conciliis sequioris sevi sparsim extant. In *Concilio Turonensis* II:di anno 167. habiti, canonibus, de iis nihil cavitur, & tamen patres Turonenses in epistola synodi-  
ca sua apud *HARDUINUM* (a) monita de decimis  
hac

hæc subiungunt: Illud vero instantissime monemus, ut Abrabæ documenta sequentes, decimas ex omni facultate, non pigerat DEO pro reliquo, quæ possidetis, conservandis offerre: Ne sibi ipsi in opiam generes, qui parva non tribuit, ut plura retenter (\*). Et quod dicendum est verius, suum per-solvat premium, ne se trahi videat peccato dominante captiuum. Addunt etiam hæc: Ergo si quis in Abrabæ collo-sari desiderat gremio, ejusdem non repugnet exemplo in sol-vendis sc. decimis. Speciosum, sed sine virtute acumen! interim si sub præcisa necessitate jam solvendæ tuissent decimæ, patres sine dubio canones de hoc argumen-to in ipso concilio edidissent, quod non factum es-se remur. Imperante JUSTINIANO, decimæ suam libertatem adhuc retinuere. alias enim in ejus le-gibus, decimarum mentio, procul dubio facta fuisset. Interim concilii, de iis circa hæc tempora, ad-huc tacentibus, veritati consentaneum est earum necessitatem, patrum privatâ tantum persuasione, non verò publicâ adhuc auctoritate aliquâ, incul-catam fuisse. Tandem verò præcepta quædam, tam civilia quam ecclesiastica decimarum imperatarum, in conciliis & legibus teculo VI. occurruerunt. In Gallia CHLOTARII constitutio circa annum 560 c. II. de decimis hæc habet: *Agraria, pascuaria & decimas pororum, ecclesiae, pro fidei nostrae devotione concedimus, ita ut actor aut decimator in rebus ecclesiae nullus acce-dat.* (b) In concilio Matisconensi II. anno 583. habito c. 5. apud Harduinum (a) seu 585. ut BAS-NAGIUS habet, occurrit præceptum de solvendis de-

cimis, sed tale, ut 'decimarum solutio, utrum eo tempore neglecta, an verò constante praxi recepta fuerit, qvod qvidem probabilius, nemo certo scire possit. Edicunt patres: Leges divinae consulentes sacerdotibus ac ministris ecclesiarum, pro haereditatis portione omni populo praeceperunt decimas fructuum suorum locis sacris praestare, ut nullo labore impediti, horis legitimis, spiritualibus possint vacare ministeriis. Quales leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeras. Nunc autem paullatim praecavaricatores legum, penes omnes, Christiani (d) ostenduntur, dum ea, quae divinis suis sancta sunt, illi adimplere negligunt. Unde statuimus ac decernimus, ut mos antiquus a fidelibus reparetur. Et decimas ecclesiasticis famulantibus ceremoniis, populus omnis inferat quas sacerdotes aut in pauperum usum aut in captivorum redemptionem prorogantes, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrant. Quo canone aperte liquet, paucos in Gallia adhuc decimas clero exsolvisse. Et unicus hic adhiberi potest canon ex seculo VI. quo decimæ sint imperatae. Exemplo Masticonensis cleri conciliiq; secuta secula juri decimandi legis necessitatem tandem imposuerunt, quam edictis quoq; suis reges sanxere. Pauca tamen decimarum vestigia, seculo currente VII. reperiri retent Harduinus (e). Theodore Cantuariensis Capitula ad annum 688. de decimis nonnulla præcipiunt. Profecto in cap. XXIV. hæc habentur verba: Presbyter decimas dare non cogetur. Et cap. XXX. Tributum ecclesiae sit. sicut est consuetudo provinciae, ne pauperes eam in decimis patientur.

(a)

(a) Tom. III. con il. p. 368.

(\*) videtur zetus patrum pius hic esse eundem omnino finem respexit, quem jam ante gentiles decumā Herculanaū suū in oculis habuisse, paulo ante monuimus pag.

(b) Vid. Stephan. Baluz. Tom I. capitul. p. 8.

(c) Tom. II. concil. p. 461.

(d) dixerimus potius, decimas nondum universaliter introductas fuisse, patresque hujus concilii, ex doctrina quorundam antiquorum patrum, deceptos credidisse, praxie earum obliteratam fuisse. Quo vero posito, omnes Christiani ab officio decimarum solvendarum non probe dieuntur descivisse.

(e) Tom. III. concil. p. 1772.

### §. VIII.

**L** Egibus Francorum, seculo demum VIII. decimas rum usus emergere & auctoritate principis interveniente, magis magisque confirmari cœpit. Praecepta frequentissima in capitularibus legibus eorum, imprimis vero illis, quæ CAROLUM M. auctorem mentiuntur, de anno 801. apud Baluz. (a) sacerdotibus injungunt, ut unusquisque scire faciat cunctos sibi pertinentes, qualiter decimas totius facultatis, ecclesiis divinis debite offerant. In sequenti capite adjungitur: Eas dividendas esse in tres partes, ut prima ad ornamenta ecclesiarum, altera ad usus pauperum, & tertia sacerdotibus cedat. (b) Neque decimam laborum partem oneris hujus immunem esse voluit, quod C. XVII. etiam constituitur: *Secundum DEI mandatum, inquit legislator,*

lator, praeceperimus, ut omnes decimam partem substantiae & laboris sui, ecclesiis & sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, similiter & alii, juxta quod DEUS unicuique dederit Christiano, partem DEO reddant. (c)

(a) Tom. I. capit. p. 359. c. 6.

(b) apud Baluz. cit. L. V. C. 101. p. 841.

(c) Basnag. Tom. II. diss. V. de Decim. §. XVI.

### §. IX.

**R**egna ad Christianismum conversa, nulla alicui potestate facta se se opponendi, huic mox subjiciebantur tributo; Neque enim amplius ab eodem immunes esse poterant, qui ecclesiæ, h. e. cleri dominio humeros submiserant suos. Vix dum sceptro Francorum colla tua subdiderant Saxones, cum legem de solvendis decimis eis imponeret CAROLUS M. teste Schatenio. (a) Carolus tamen prudenter episcopos hortatus est, ne cum fidei damno nimis amare & rigide in hoc tributo exigendo agerent: *Vestra, scribit, sanctissima pietas sapienti provideat consilio, utrum melius sit, rudibus populis in principio fidei, jugum imponere decimarum, ut plena fiae per singulas domos exactio illarum. An apostoli quoque, ab ipso DEO edociti & ad praedicandum mundo missi, exactiones decimarum exegissent, vel alicubi demandassent dari, considerandum est. Scimus quod decimatio substantiae nostrae valde bona est. Sed melius est illam amittere, quam fidem perdere. Nos vero in fide Catholica nati, nutriti & edociti, vix consentimus substantiam nostram ple-*

niter decimare. Quanto magis tenera fides & infantilia animus & avara mens illarum largitati non consentit? Roborata vero fide & confirmata consuetudine Christianitas, tunc quasi viris perfectius fortiora danda sunt praecpta, quae solida mens religione Christiana non abboeat. (b) A principe Martio & bellis implicito quid ad veritatē & prudentiā pulchrius dici, aut in mediū consuli potuit? Interim cum hoc onere, per hæc & sequentia tempora conjuncta erat conversio fidelium, qvod non poterat non eorum animos à fide in Christum alienare. Nec consilia facile admittebant clerici saniora, avaritiā plane corrupti, magis bona laicorum affectantes, quam de illorum solliciti animabus; quasi sine auro sacra consistere nequeant, neque caritatis officia sine auro exerceri. Rigorū iudicium verbis exiguum videri potest, sed exquisitum & opportunum, si momenta rerum attenderimus, & popterea dignum maximè, qvod hoc loco in censum & rationem veniat: Exolescente sportularum honore, inquit, intravere in ecclesiam DECIMÆ, religiosis obtentu, ac primo quidem spontanea liberalitate, quæ sportulis haud sufficientibus, oblatae, mox avarè & crudeliter exactæ.

(a) In bish. Westphal. (b) N. Alex. ad an. 798.

### §. X.

**H**ilce decimis, quæ unicè jure Divino clericis deberi credebantur, mox laici inhiare cœperunt, non sine maxima clericorum murmuratione & strepitu. Et adhuc cum tot decimarum genera in regnis

gnis possidentur, vel jure feudi (a) vel alio titulo,  
 non potest fieri. qvin invidia clericorum exinde  
 moveatur. Decimæ vero variis modis olim in ma-  
 nus laicorum civium transiverunt (1) ex prin-  
 cipum atq; regum dispositione, qvi monasteria &  
 ecclesiæ in sua adhuc manu habuerunt, & ob ne-  
 cessitates publicas, prædia ecclesiastica militibus di-  
 stribuerunt. Idqve non alio magis, qvam isto titu-  
 lo factum fuit, qvōd milites pro defensione eccle-  
 siarum, simul arma, dum res ita postulabat, infer-  
 rent hosti; cujus quoqve intuitu æqvum celeba-  
 tur, ut ex penu ecclesiæ fudsidum stipendium qve  
 quoddam ferrent; atqve in illum modum perhibent  
 de CAROLO MARTELLO duce regente Franco-  
 rum, historie ætatis ejusdem, qvod dona ecclesi-  
 astica militibus suis utenda concesserit. Probabile  
 ergo est, eundem saltem, decimas in feudum mi-  
 litibus dedit. Observat id iplum Vadianus apud  
 Goldastum (b) & de temporibus CAROLOMANNI ita  
 loquitur: Jam cum enim erant, non Abbates modo, qre-  
 rum avaritia dudum ecclesiæ nocuit, sed nobiles etiam  
 Laici, qvi Principum indulgentia abusi, decimas sibi fre-  
 quenter vindicaverunt. (2) Decimæ Laici cessere,  
 audacia prælatorum, bona & ecclesiæ jura adeo  
 sibi asserentum, ut de iis, pro lubitu, disponere  
 non dubitarent. Non raro publica necessitas po-  
 sebat, ut potentiaæ majoris viros sibi devincirent,  
 illos vasallos ecclesiæ militesqve constituerent, & de-  
 sum vinculo quodam eosdē sibi obstringerent. Atq;

inde forte non injuriâ repeti possunt origines illo-  
rum CHRISTI militum, pro dilatando papæ regno  
olim dimicantium & strenue occubentium. qvam-  
vis, si rem rite computaverimus, ex gentilium  
sacris devotionis militaris fastus ille non minus a-  
pte derivari possit. (b) Sed deerat aliis neqve  
ambitio, qva movebantur, ut plures sibi clientes  
vasallosqve conciliarent (c) Iterum nova caussa,  
qva decimæ laicis cessere, hæc erat: Extruxere  
in villis suis potentiores capellas & oratoria, pro  
se suisqve subditis, qvæ instar ecclesiarum paro-  
chialium erant, ex qvibus decimas sibi retinebant,  
jure qvodam census, ecclesiæ imposito. Regum  
exempla intuebantur, qvi in capellis dominicas de-  
cimas (c) qvas sui juris dicebant, laicis dabant.  
In concilio Meldensi, anno 845. celebrato c. 75. a-  
pud Harduinum: (d) patres, id minime approban-  
dum, sed indignum esse judicarunt, ut capellas vil-  
larum suarum, laicis committerent. Et si laici, di-  
cunt, capellas habuerint, à ratione & auctoritate  
illud saltem alienum haberetur, ut ipsi decimas acci-  
piant, & inde canes & geneceiarias (x) suas pascant.  
Credibile non est nobiles hoc canone motos fuisse,  
ut mox decimas, qvas sui juris esse credebant,  
dimitterent, qvin inde potius factum arbitramur,  
ut in pagis, in qvibus nobiles ecclesias parochiales pro-  
tota sua familia, qvæ potissimum ex rusticis servi-  
lis conditionis constabat, extruxere, decimas sibi  
adscripterent, & jure hæreditario in posteros suos  
trans-

transmiserint, quod vel tot *decemarum alodialium* exempla in prædiis & pagis nobilium, etiam in hac nostra gente, testantur, quæ hodie, titulo veteri illo, ab iisdem possessoribus habentur, retinentur. Huc demum (4) accessit rapacitas potenterum, bona ecclesiastica invadentium. Quid stomachus sui impos, eidemq; delata divinitas, in sacris efficere posset, videntes *laici* potentiores, abs sua humanitate non alienum putarunt, ejusdem formæ in suis moribus retinere vestigia. De vi aperta horum freqventer querebantur clerici; patresq; ve licet prolixe de hac rapacitate egerint, inanes tamen ut plurimum erant hæ querelæ, nec arma spiritualia ut loquuntur, illud effectui dare poterant, ut prædam potentioribus laicis eriperent. Istæ ex BOEH-MERO, si non omnia, maximam partem tamen, qvi veteris ecclesiæ jura, eorum transfigurationes, h. e. mutationes & mutationum successiones diligentissime excusit. (e).

(a) Qva ratione autem primum decimæ in feudum dari coeperint, exponit Albert. Cranzius lib. I. Metropol. c. 2. Ferunt, inquit, indictas populo decimas, de more Christianorum, non pertenisse pontifici primuno, sed regis praefectis, ut inde stipendia militibus & sumitus ficeret crebrarum in partes infidelium expeditionum. Tributorum nomen horrebat libertati aspernus populus, sed decimarum exactionem recusare non poterant. Interpretantur annales, hinc ortum ut multarum bōdie decimarum exactiones sint in manibus Laicorum; Ego alijs buic rei causam

sam accessisse coniicio cum non satis siderent Pontifices sua jura ab iaceis principibus tutari, dedisse arbitror partem decimarum principibus in manum, per speciem feu- di & beneficiorum malentes amittere dimidium, quoniam totum: Inde factum, ut a principibus transirent in mi- nisteriales, qui nunc militares appellantur. add. eun- dem Lib. 6. Saxon. c. 52. Beat. Rhen. n. ver. Germ. lib. 2. pag. 90. Leibman. Ebron. Spirens. lib. 5. c. 67. Eadem verba observarit Schottelius de Jur. decimandi c 8, §. 7. p. 245. & Thomas in Lancelot. Part. II. p. 145. in N. ad §. 17.

(b) Tom. III. rerum Alemann. p. 10.

(\*) ad gynaecium spectantes feminas intelligit.

(c) De imacratione originis suae sunt vel ecclesiasticae vel profanae, ut loquuntur. Ille dicuntur, quae primor- dialiter ecclesie debitae, tractu temporis variis modis ad laicos transfere, vel adhuc ab ecclesia possidentur. Hæ vero sunt illi proventus, quos principes regesque vel ex metallis vel aliis bonis dominiciis, ut olim vocasse sunt, percipiunt.

(d) Tom. IV. concil. p. 1409.

(e) Boehmer. Tom. III. L. 30. de decimis.

## §. XI.

**T**Alia fata decimæ habuere in regnis ad Chri- stianismum conversis. Clerici nullū non lapidem movere quidem, quo faciliorem sibi reddere possent retractum decimatum; præscriptionis jus suum ma- xime urgentes: Sed cum titulum vetustatis eun- D dem

dem laici qvoqve pertinaciter, & illud neqve tem-  
 re opponerent, retinuit qvæ semel apprehenderat,  
 unaqvæqve pars, & pro suo vindicavit. Sed defue-  
 te curiæ Romanæ nunquam prætextus ad metam,  
 qvam collinearet, pervenieadi. Adeo non uno an-  
 tro misere temet claudi patiebantur ejus clientes,  
 ut non exitum curarum aliunde qvæsiverint & in-  
 venerint. Cum illa non proficerent machinamen-  
 ta, qvibus hactenus instituerent, ad turbandam qvi-  
 etem, eandemqve bonæ fidei possessionem decima-  
 rum, rationem summæ *necessitatis* religionem,  
 patriam & unius cuiusqve opes atqve vitam in-  
 discrimen vocantis, exaggerare, turbatis tempo-  
 ribus & publicis rebus, non intermisserunt. Hisce  
 motivis insurgebant, cum ad solvendas promisæ de-  
 cimas, laici non alia via flecti potuere. Habita est  
 anno 1518. coram Imperatore *MAXIMILIANO*, in  
 conventu principum Germaniæ à legatis *LEONIS*  
 X. oratio, pro colligendis decimis in expeditionem  
 contra *TURCAS*: quo invento novo, non novo,  
 (4) id omni mentis ope omnibusqve viribus ege-  
 runt, ut Germaniæ proceribus perivaderent, se  
 sincere agere, nec Romanam curiam, vulgato aliorum  
 more, qværere Germanorum thesauros, sed salu-  
 tem ecclesiæ & religionis Christianæ integritatem.  
 Verum firmamento fidei non opus fuisset novo il-  
 lo, si noui consciit sibi essent ejusdem puta fides, sive in  
 annalibus jam antea fluxæ, neqve nisi leviter fun-  
 dataæ. Sed comminiscerentur illi, qvoscunqve vel-  
 lent

lent cantus, sirenios esse omnes non ē longinquo  
 perceperunt Germaniae proceres, & proinde aures  
 suas iisdem auscultandis non magis illi accommo-  
 daverunt, quam CHRISTIANO I. scandae monarchae,  
 monitis CALIXII papae III. paternis, cura parendi  
 erat, cum pro defendenda urbe & imperio Con-  
 stantinopolitano ad novam expeditionem cruciatam  
 eundem excitare adlaboraret. (b) Voluit neutra  
 pars illa, ad tale ludibrium venire credulitatem  
 suam, ut his amplius deciperetur artibus. Qvamob-  
 rem status corruptissimi emendationem, serium de  
 neqviter admissis dolorem, eundemq; piis precibus  
 mixtum, arma illa primum Christianus & mox di-  
 eti modo proceres esse reposuerunt, qvibus cœli  
 misericordiam, pro se qvisque permovere annitetur.  
 ad causam pericitantis non uno modo Christianismi in se luscipiemad atq; defendendam. Quid  
 vero? Cum papa hac ratione tributum imponere  
 ordinibus, aut ad extolvendum decimas persuade-  
 re non posset, alio modo, alio commento emolumenta  
 curiae & status sui amplificare aggressus est, indulgen-  
 siarum puta satis celebri & qvæstuolo commercio.  
 (a) Vid. Freherum Tom. II. rer. Germ. p. 698. edit. noviss.  
 (b) Vid. Holbergii bish. Dan. Tom. I. ubi de vita & re-  
 gn Christiani agitur.

## SECTIO POSTERIOR.

### §. I.

**Q**uod nostros Suones Gotbosque attinet, cuique  
 D 2 ad.

ad oculum apparet, qui vel primis labris antiquitates eorum ecclesiasticas degustaverit, illos non solitos fuisse decimas <sup>clericus</sup> per solvere ante introducendum in Sveciam Christianismum. Durante gentilismo, in Germania armentorum & frugum portione certa, ultiro & viritim cives principum suorum necessitatibus subvenire solitos fuisse, ex TACITO (a) dicimus. In specie de Germanis cismarinis h. e. Scandiae nostrae inhabitatoribus, STURONIDES testatur, pro frugum abundantia, sacrificia ab ipsis oblata fuisse OTHINO. neque magis illo fine, quam ut hostiles machinationes propulsaret, (\*) certam quantitatem nummorum, per singula capita, ejus sacerdotio appensam fuisse. (b) De oblatione decimana vero, quod illo tributi genere quoque censi voluerint a sacrificulis suis; illius instituti multa est omnis ævi illius memoria; quidquid super problemate isto dissentiat LIPSIUS, & occasione loci apud TACITUM modo memorati, de primordiis decimarum urgeat, quod non a Christianæ, sed ultimis barbaræ Germanæ temporibus, illa sint omnino repetenda. Nondum abolito cultu Deorum Upsilonium, quorum tacris interesse novella ecclesia, regesque magna (c) munera mittere, instituto veteri, tenebantur: ut se non solum redimerent ab exercendis impiis ceremoniis; verum insimul & veteris & novæ religionis antistitibus tributorum & decimarum per solvendarum onus in se recipieren, id non facile a se impetrare posse videntur.

Qui

Qui in Scandiam primum intravere prædicatores  
 Christianæ religionis, copiosum brevi tempore fru-  
 etum doctrinæ & institutionis suæ comportare po-  
 tuerunt, quamdiu rationalem, eundemque ab exte-  
 ris majoribus multo ante commendatum tramitem  
 veritatis & simplicitatis illi seqverentur. tantoque  
 illud præstitu iisdem magis proclive erat, qvan-  
 to ad restingvendum veræ religionis ardorem,  
 exterias terras & quidem præcipue Fresones, suopte  
 nutu, civium multi concedere jam ante soliti tue-  
 rant. Ast cum seqvioris ævi sacrificuli ROMANENSES,  
 Christianismum magis imperarent quam invaderent:  
 pristinus ardor & devotio animi in pietatem ex-  
 ternam & ritualem degenerasset: neqve nisi carè  
 redimendæ ipsis obtruderentur religionis excrecen-  
 tiæ istæ, qui qvælo fieri aliter potuit, quam ut  
 de jugo non amplius miti & opportuno, quale suum  
 fore Christus sposonderat, sed servili & importu-  
 no, consilia inirent pariterque eadæ exqverentur.  
 Qvas sub CANUTO rege ingentes in Dania excitavit  
 turbas exactio decimarum, non soplitas nisi regis  
 interiu, in seqventibus visuri sumus. In hac nostra  
 gente, qui ad prædicandum evangelium, eandem  
 primum ingressi fuere doctores & apostoli, illoruini,  
 primitivæ ecclesiæ virorum apostolicorum more,  
 donariis gratuitis regum atqve populi, vitam ut-  
 cunqve sustinuere; modicis contenti, opes, qva-  
 rum fulgore acies & devotio mentis eorum per-  
 stringerentur, nullas desiderabant. Reges præferrim-

SLEN-

STENCHILLIUS, INGO, RAGFALDIUS, SVERCHERUS &  
 ERICUS *sanc*tus**, rem Christianam & ecclesiasticam  
 sibi curæ cordique quam maxime esse voluerunt,  
 conditisque templis passim atque cœnobiis, imo  
 concessis liberaliter, in sustentationem clericorum, sum-  
 tibus & beneficiis, promoverunt. Civium, ad ex-  
 emplum principum, suos quoque mores conforman-  
 tium, laudat, & prope miratur liberalitatem ADAMUS Bremenensis, (a) de ævo & imperio Stenilliano  
 referens, quod, tempore currente auspiciatissimo il-  
 lo, ADALUARDUS episcopo, cum primum Sigoniam  
 accessisset, ad unam missarum celebrationem, ad  
 manum oblatæ fuerint. LXX. marcas argenti; &  
 oblationes ejusmodi quotidiana*s* fuisse fatetur (c)  
 ut vix Christianus haberetur, qui non quotidie offerret ad  
 missam. His autem civium symbolis regumque do-  
 nariis, quæ pro reqvie & salute animarum a mo-  
 rituris dari consueverant inde ab Ansgarii æta-  
 te (f) ad exornanda templa, le suamque familiam  
 sustentandum, acqviescere debuissent clerici: (g)  
 Imo opibus illis non vitam solum commode susten-  
 tare, verum iisdem etiam dilecti*cere* potuissent, si  
 temperamentum habendi cupiditati suæ indicere  
 voluissent. Si intra illam, quam natura præscribit,  
 continentiam subsistere in animum induxissent  
 suum, pro statis atque fixis censationis ecclesiasti-  
 cæ titulis, ad luxum & abusum, magis quam mo-  
 derationem & ulum spectantibus: certe pro deci-  
 mis tantas & tam periculosas dimicationes sulcipe-

re non habuissent opus. Sed est in promptu caussa,  
 cur legalem & imperatam potius, quam privatam  
 atque gratuitam esse voluere clerici stipem illam,  
 unde sumptus ipsis ad non commode solum sed  
 & laute vivendum suppeterent. Nimis cum  
 non ē longinquo viderent, ea quae gratuito ex-  
 penderentur, pro cuiusque majore aut minore di-  
 ligentia in promerendo munere isto, magis ple-  
 na modo, alias restrictiore manu conferri solere;  
 quin, adeo neque rudes essent indolis & rerum  
 suarum, ut nescirent ad *praemia virtutis & igna-*  
*viae voluptatem* (b) quam juxta adspirabant, plus  
 proficere certum, quam in dubio & incomperto  
 suspensum salaryum: inde pro aris & focis suis,  
 beneficiis puta ecclesiasticis, imprimis vero decima-  
 rum opima colluvione, tantum sibi, idque unanimi-  
 ter & strenue depugnandum sumierunt. Callidita-  
 tis in præfulibus ecclesiarum alteram caussam  
*OERNHIELMUS* attexuit. (i) nempe si viverent,  
 ecclesiarum more primitivarū ex gratuitis piē confe-  
 rentiū bonis: pro ut indolem eleemosynæ magis ha-  
 berent illa stipendia, quam rationem tributi, ex for-  
 mula juris *DIVINI* pendendi: Dico, si jure & conve-  
 tudine in secula perenni illa ratio collectandi du-  
 raret, quasi pennarum remigio nudati, ad illas in  
 orbe maximas res, quas in oculis haberent, qui,  
 quæso allevare semet, eniti atque emergere pos-  
 sent? Profecto non alio magis quam isto nomine  
 regem *Daniae* modo memoratum laudat *JOHANNES*

*Magnus (k) & I. WASTOVIVS uterq; Gotbus (l) quam  
 quod decimas & primitias Christi ministris liberali-  
 us & commodius providisset, & ad locupletandum priva-  
 tac rei canones eorum, pietatis reverentia, verum calida  
 magis illa, quam callida, proruisset. Quidquid sit,  
 decimas imperare seu exigere in hac nostra gente  
 nullatenus tutum aut securum videbatur, quo ad  
 ethnicorum toleratio & conscientie libertas dura-  
 ret, quæ minimum usque ad SEVERCHERI senioris  
 tempora perstisset videtur. & nisi admodum fallor,  
 ex epistola GREGORII papæ, VII, quā STENCHILLI fi-  
 lios INGONEM III. & HALSTANUM de decimis toti re-  
 gno indicendis blandè compellat, præcipitanter ni-  
 mis concludunt illi, qui eas mox in receptam abi-  
 ille legem autumant. (m) cum potius ex iteratis,  
 alio atque alio tempore, pontificum instantiis colli-  
 gere liceat, illam legem canoniam, nec dum  
 longo post tempore receptam, ne dum observatam  
 fuisse: etiamsi reges ipsos in decimas consensisse  
 satis esset expeditum, quemadmodum ex aliis re-  
 gum privilegiis illud idem mox apparebit. Neque  
 bene supponitur, uno eodemque tempore, vel pau-  
 lo post decimas imperatas, episcopatus penes nos &  
 vicinos populos certis descriptos fuisse limitibus; quia  
 potius id rationi ac traditioni convenit, quod im-  
 peratæ tum fuerint decimæ, cum episcopatus suis  
 limitibus primum definiti essent; quamvis per istos  
 Dania, licet distributa, idque à regis Canuti IV.  
 tempore, decimas illa tamen non exsolvit, sed D.*

CANUTUM eundem, SV. ESTRITHII filium, cum easdem  
 rigidè nimis urgeret, Ottonis 1086. VI. Idus Julii,  
 in æde S. Albani, ad summum altare interfecit. Su-  
 per illa verò regis Danici cum civibus suis *de decimis*,  
 lite sanguinariâ; de anno item certo, sive incerto,  
 quo rex trucidatus fuit, & denique honoribus post-  
 humis ejusdem, qvisquis plenius informari cupit,  
 Daniae historicos, & quidem præcipue SAXONEM  
 cum suo commentatore STEPHANIO conferat, &  
 deinde cum OERNHIELMIO & BENZELIO nostrate  
 committat, suæque mox curiositati perbellè satisfa-  
 ctum videbit. Interim non uno impetu, sed per  
 varias temporum periodos, infinitasque cleri artes,  
 idque nusquam fere sine turbis publicis, decimas  
 populo nuper converso impositas fuisse, non sub il-  
 lo modo Danicæ gentis exemplo patet, sed docet  
 insuper vicinæ gentis, puta Holsatiae historia, eun-  
 dem ipsi quoque animum fuisse, cum ex sugge-  
 stione cleri, servitotis genere eodem, eandem mul-  
 etare vellet *comes* idemque *princeps* civitatis. Quid-  
 quid creparet *episcopus* divinam utriusque fœderis  
 legem & præscriptionis ecclesiasticæ *in memoriam*  
*sanctitatem*, Holsati tamen prius se comitatum va-  
 staturos, & ad libertatis avitæ vindicem Danorum  
 gentem, non inhonesto transtugio, abitueros de-  
 nunciabant, quam commento specioso quocun-  
 que, ad accipendum humeris suis jugum, pa-  
 rentibus ignoratum, temer adduci paterentur.

(2)

E

(4)

- (a) vid. Tacit. German. c. XV.
- (\*) Gylfonom regem una cum indigenis Svetbiae fuisse, et de Asis adenis vana persuatione delibetur fuisse, ut crederes ipsos comitari omnem felicitatem, sub illis pacem vigere & prospera quaeris, confer Eddæ mytholog. II. itemque prologum libri ejusdem.
- (b) vid. differt. de denario S. Petri II. p. 36. qua cum consorsis T. Arnkielium in antiquitatibus Cimbricis I. p. 199. & videbis Wandatos nostros (Wān-dal-boar) cuiuscunq; sexus essent, ibidem denarium, in forma anni tributi, olim suo quoque Deastro obtulisse.
- (c) Oernhielm. Lib. III. 17. 3.
- (d) Adam. Brem. de situ regg. septent. p. 145.
- (e) ibidem p. 146.
- (f) vid. Rimbart. vit. Ansgar. c. 17.
- (g) Wildium in hist. Svetbiae pragmat. confer ex legibus patriae vetustis in hunc modum differentem de continentia, an vero intemperantia clericorum primitivæ eccl. Svecanæ.
- (h) Sallust. bello Jugurt p. m. 342.
- (i) Oernhielm. Lib. III. 17. 34.
- (k) Joh. Magn. H. Sv-Goth. c. XVIII. 13.
- (l) Vastov. ritus aquil. edit. Ups. p. 54.
- (m) Oernhielm. H. E. L. III. c. 22. p. 332. l. 39.
- (n) Arnkiels Cimbrische heiden bekehrung p. 253.

## §. II.

**D**lximus in hac nostra gente, ante factam terræ divisionem in certos episcopatus, constitutos que

33

que in modum Marchionum, episcopos, qui pro custodiendis domi limitibus ecclesiæ, iisdemque peregre dilatandis, strenue laborarent, civium nostratum neminem publicè & palam decimas sibi obtrudi paßum fuisse, licet solverent reges, & qui cum illis agerent superstitione delibuti alii; monitis inflammati Romani *Ditū*: per literas illam cantilenam plus simplici vice, auribus eorum insuffrantis, quod qvidem nulli grave videri debeat pro maiore parte, videlicet semper victura anima, quamque decimam DEO offerre, cum pro morituro corpore, plurimae gentes coniugibus suis, tertiam rerum, legibus compellentur ex solvare. (a) Ejusmodi motivo turgent GREGORIANÆ ad HALSTANIUM & INGONEM datæ litterulæ: à quibus neque dissentient Alexandri ad CAROLUM VII. post non integrum seculum, iteratæ obsecrations armatae, ut quam terrenis & cœlestibus bonis reges atque cives non inviti abundare vellent, tam promte atque pio decimam profuturam ordini suo, illi quoque in herreum domini adferrent. Ejusmodi verò juris speciem fraudibus suis, sancta gens nullo non tempore imposuit, quemadmodum jam ante audivimus. Verum quæstus pietatis iste cuius generis esset, cum non ē longinquæ appareret, regni viribus, ab angve in herba latitante isto, quorum intererat, suo quisque tempore, caute providerunt.

(a) Oernhielm. *H. E. L.* III. 22. §. 40.

§. III.

**N**Obis nunc ordine inquirendum succedit, quo tempore in Sycogothis primum juris publici

E 2

de.

decimæ evadere cœperunt? In fætione priori, ubi de decimis in genere egimus, seculo certo & sequentibus accidisse diximus, ut conciliis & legibus apud exterorū imperari cœperint decimæ. In hac nostra gente, licet illi, qui mysteriorum divinorum interpres huc primum accesserunt, papistici regni mysterium hoc idem, auditorum suorum fidei non oeiōtē mandaverint: in ceteris GESLO Lincopiensium episcopus, de quo scriptum invenitur, quod de DEO sacrificiis & decimis collendo, fideles suæ ecclesiæ crebro admonuerit. (a) Imo papa ipse; licet anathematis fulmine percutendos edixerit omnes, qui ter moniti decimas non offerrent: (b) tamen ante sacram (c) in publico cœtu concilioq; latam sententiam comitialem, decimarum præstationem, juris publici, in regno Sveo-Gothico factam tuisse, quod sciam, nostratum nemo adseverare ansus est. Eset heic locus de conciliis in Svetia pontificiis & ecclesiasticis (Helgesting) quam auctoritatem & effectum civilem, jure ne, an injuria olim habuerint, disqvirendi: verum disquisitioni isti alius nos immittere, non rerum habitus sinit, neque temporis angustia. Id non prætermitendum tamen, quod quamvis religionis sanctiendas & tuendas munus nunquam non sanctum fuerit apud maiores nostros Christianos; clericis ab initio tamen tantam non permiserint auctoritatem in conciliis, quantam sibi ipsi vindicavere, postquam artes suas omnes sub signa vocare cœpisset

papismus. De novella majorum congregatione fidelium perhibet *ADAMUS* (d) qvod veritatem prædicantes episcopos, si casti, si prudentes, si idonei essent, concilio populorum communi, *Hwarz* ipsis appellato, interesse non renuerint: sed ita tamen, ut forte civis excedere, aut jura regni, religionis sub prætextu dispensandi, iisdem nullum arbitrium adhuc, nullam potestatem reliquerint. Sed incidunt, post non multo, alia tempora, qvibus posthabita evangelii prædicatione, semet non regno, curiæ & bellis solum imarmiscuere clerici, sed & laicis principibus sele præferre, atqve jure civitatis nullo pene observato, comitia suopte nutræ celebaret cœperunt. (e) Atqve ad illud genus comitiorum forte non immerito qvis retulerit, qvod non de fide, neqve repurganda disciplina ecclesiasticâ in *Assubact* / (\*) seculo vergente XII. habitum fuit, super controversia, uti non improbabile videtur, duos inter Gothiæ episcopos ortâ de disterminandis diœceseon limitibus (f): ut constaret, e qvibus terris cuiilibet eorum exigendi decimas, ius competeteret. Meminere concilii illius L. L. *Westro-Gothicae*, & qui ad easdem appendicem consignavit auctor anonymous; qvi, *Scaris* sedente *JERPULVERO*, eodemque rem gerente, factum ait, ut à civibus primâ vice solverentur decimæ (g) seu uti præsumptionem zeli eandem, pro more seculi, magis aperte exprimere voluisse videtur *BRYNOLPHUS*, qvem post ali-  
qvanto eadem cathedra lessum recepit: (h)

Bisshop JERPULPHIS födder i Hvarfsbys /  
 Han glorde landet en STADGD å ny  
 Hvar Bonde skulle göra LJDND afhet Gud ho-  
 nom gaf/  
 Om han skulle båra HÄLT eller BISKOPS staf/  
 RIKSENS RÄD efter Kyrckona lag/  
 Samtackte thet på en HERREDAG. h. e.

*JERPULPHUS episcopus, natus in Hvarfsby novum re-  
 gionis (regno) condit statutum, ut quilibet civis decimas daret  
 ex omnibus à DEO sibi concessis, si quidem ille pileum &  
 pedum gerere deberet. Senatus regni, secundum jus canonicum,  
 in id consensit in publicis comitiis. Sonant ita verba ex  
 interpretatione nobilissimi WILDII nostratis, de pa-  
 triæ historiâ, cum civili, tum quoque ecclesiastica  
 meritissimi viri. Videtur autem in eam inclinare  
 sententiam vir illustris, quod ad instantiam regis  
 ac episcopi, à populo promulgatum fuerit idem de-  
 cretum, adeoque pro plebesito magis, quam senatus  
 consulto accipiendum esse. Verum habitâ ratione  
 temporum, quibus usu venere isthac omnia: quām  
 in senatum regni viam pertentaverint, & in illo  
 partes primarias demum invenerint episcopi; iidem  
 que in regno non cives amplius, sed rerum divi-  
 narum humanarumque arbitri censeri voluerint;  
 in summa, regnum in sua quisque diœcesi moliti  
 fuerint: suspicari licebit jus comitiorum pristinum  
 sensim in delvetudinem abiisse, & quæ de proce-  
 rum conventu (Herredag) eorumque senatus con-  
 sulto.*

susto sonant verba Brynolphi, utpote accomodata usui & introducto nuper regimini ævi illi<sup>9</sup>, non sensu populari, sed propriè & strictè accipienda esse. Conciliū igitur sive ecclesiastici sive ecclesiastico politici hujus scopus erat; comitiorum iure pristino suppresso, armis decretoriis transigere super tributo, sacri ordinis vi-  
ris, sub nomine Decimæ, æternum exsolvendo.

- (a) Benzeli. Monum. Eccl. pag. 118.
- (b) Vildes bistor. Sv. pragm. pag. 376.
- (c) L. L. W. Lundii pag. 72.
- (d) Adam. Brem. ed. Fabric. pag. 60.
- (e) Adalbartum Bremens. A. Ep. consilium cepisse vo-  
candi ad concilium episcopos Daniae &c. vid. apud  
Adam. III. cap. 31. seqq. Concilium eccl. Lincoiae  
indixisse Nicol. Alban. Card. vid. Benzeli. monum eccl.  
pag. 74. Skeningæ, Sictioniæ, Telgæ, Arbogiæ, aliisque  
Svetbiae locis, abs Legatis pontificum. Et Archi episcopis ba-  
biterum conciliorum provincial. mentionem facit Chronicon  
a D. D. O. Celsio edit. Lipsiæ, pag 70 itemque Net-  
telbl. bibl. S. G. II. p. 125, 179. &c.
- (\*) Illi constaret, qua parte Scandia in concilium convene-  
rint ecclesiae & gentis illius proceres, loculos excussi geo-  
graphicos & topographicos, quotquot invenire potui. Cum-  
que nulla mea, ad explicandum estum illum, proficeres  
industryia, quem praefulcem Gothlandia, eundemque rerum  
ecclesiastic. promouen condum pridem patriae meae submis-  
serat, consului, qui, elis à S. litera, Albeck juxta ap-  
pellari tecum, Hist. eccl. S. G. II. pag. 277. memet do-

cuit Cumq[ue] continentis Scandiae regione nulla invenire possem, in insularem modo dictam, ubi quae situri novas sedes jam olim conuenire maiores nostri solebant, delatus sum; Et ab urbe Wisby/ Altebeck parochianus prope remotam inveni: à statione classiariorum perinde dicta, atq[ue] ab archi-thalassi praetorianae sede, urbem modo memoratam Visib-y suum olim nomen accepisse video[n]. **M**st/ **A**skior **A**ctior  
 Et **A**cktor lembos dici, rbedaque, in ilorum modum effigias, quae in itineribus conficiendis Lappenibus usui esse solent, nemo non nostrum noverit. Insula certe ab urbe Holmiâ non procul remota **A**ckteron (lemborum insula) cum villagio **A**ffenäs/ promiscuam vocis ejusdem pronunciationem antiquitus obtinuisse, manifesto docet. **A**kkeron Graeciae fluvio, Et ejusdem nominis Palæstinae oppido, ubi diem obiit Henricus O-Goth. episcopus, quamvis non aperte dixerim ab Alkomannis Scandianis nomen inditum, originem eandem tamen, atque cognationem Scythicam manifesto produnt. Verbo: in vicinia dicta modo urbi Wisby/ bello olim, debinc pacis artibus florentissimae, locum conciliat, quem designant **LL.** **V.** quarendum esse, donec certiora aliunde edoceri potero, harsolari licetis,

(f) **O**ernhielm. **IV.** 7. 70.

(g) **Vid.** not. (e)

(h) **M**onum: eccl. **Benzel.** p. 74.

### §. IV.

**I**D vero ut magis adhuc pareat, controversia, cuius modo meminimus, filum persequi, à proposito non alienum erit. Fuerat jam ante Verendis ditionis O-Gothis, pomériis ecclesias iisdem, quibus

bus ipsa; quocque comprehens. Sed cum fastinen-  
 dæ per utramque Gothiæ gentem, curarum mol-  
 iens sufficeret Lincopensis, eorum, qvorum inter-  
 erat auspicio, bifariam diœcesin dividere, utile vi-  
 sum fuit. Imo ne sua gens episcopo destituta,  
 non gens videretur (A), pretio & prece regem  
 obsecravere Smolandi, provideret ille sibi paste-  
 rem animarum, qvem suum ipsi scirent & honori-  
 fice colere possent. (B) Quid verò accidit?  
 Cum utrinque accurandum esset illud negotium  
 invidiæ tempestas qvædam de diœcœsa limitibus  
 repente coorta fuit. Palam & aperte illud qvidem.  
 sed qvos cum cuperet plus ultra dilatas **STENAR-**  
**RUS**, novus Verendise præsul, adeo non evangelii  
 ministerium, ejusque messem, quam magis **deci-**  
**marum** cum **COLONE** Lingacopensi partitionem in oculis  
 habuisse, verò proprius esse videtur. Etenim si  
 institutionem ad pietatem ecclesiae tuæ, saltem in  
 oculis habuisset **STENARUS**, non dubito in **Verendis**,  
 neophytorum, religionis sensu vero imbui sipienti-  
 um, tantam fuisse frequentiam, qvanta abs suspicio-  
 ne desidiae immunem eundem præstare potuis-  
 set, etiam sine supplemento curarum novo aliquo,  
 ejusque morosa affectatione. Igitur alia suberat caus-  
 sa dissidii. nempe cum O-Gothorum præsul ampli-  
 ore & populosiorum haberet administrationem,  
 qvæ reddituum omnis generis, præcipue (verò **deci-**  
**marum** opulentia, cathedrae illius dignitatem hono-  
 staret, inde de dilatandâ sua diœcesi & laboris dif-  
 findendâ mercede magis, quam labore ipso,  
**COLONEM** apud pontificem convenient. Quid vero pon-  
 derat qd. A. civitas (A) ouq[ue] ntitex

tifex? Postquam motivo, nescio quo præpostore adhibito, in primis vero usæ in sacris exemplo, regem ante modo, idque non difficulter pervicisset ad non contrectandum novi fœderis arcam, ejusque ministerii apparatus, eodem modestè præterito, seriem controversiæ omnem filiis suis legatis, non nato (c), recensq; nato (d) una cum JERPULVERO modo nominato, commisit dirimendam. Qæ verò pontificis mens fuerit, tabulæ literarum ad Stenarum & ad arbitros per scriptæ, qvarum apud OERNHIELMI'IM apographa prostant, (e) non obscure docent. Scilicet ad formam juris Leonini, pro validiore sententiam ille dixit. non nunc solum, sed seqvitecalo post etiam, cum Finlandiam Gothicam ( Szweden / WILHELMO Sabinensi procurante Cardinali, cathedræ Lincopiensi, in vicem cumuli, adjiceret. Sed cum justitiam, verius potestatem (f), quam in sui odium prætenderat pontifex, cum juris naturalis regulâ, qvæ ejusdem loci atque ordinis æqvalibus æqvaliter distribuendum monet, penitus non convenire perspicere Stenarus, ad concilium, quo majorem papam nostri nondum agnoverant, provocasse, non improbabile videtur. Loqvor de concilio Sacro provinciali, quale NICOLAUS Albanensis Cardinalis, paucis ante oratum hoc dissidium, annis, Lincopias coëgisse memoratur. (g) Concilio verò isti, utrum Lundensis regni Svethiæ PRIMAS præsederit, an verò triumviri à papa delegati solo suo nutu, locum controversum istum excusserint, qvod certò sentiam, nondum plane constitutum habeo. Quidquid sit cum mecum reproto (i.) ABSALONIS A. Ep. per hæc

Scandiae regna, pace belloque summam auctoritatem; (2.) STENARI in illa pugna inferioris conditionem subleqventem, (3.) ejus exilium, (b) & sub exilio cultam cum Archiepiscopo, in illius aulâ interiorem amicitiae consuetudinem; (i) & denique (4.) loci, ubi in concilium coitio facta fuit, intra diocesin OstroGothiæ, quamvis extra Seondiæ continentem, situm celebrem, eundemque instituendo conventui utrinque opportunum & liberum: fateor non inyitum me in illam trahi sententiam, quod concilium ecclesiæ Scandicæ hoc idem generale fuerit; & quem ad modum synodici virtute decreti, à JER-PULVERO decimæ publice dicuntur imperatæ; ita quoque pervicacissimam duorum episcoporum contentionem, sacri concilii celebrandi, & mox symboli condendi illius demum occasionem suppeditavisse.

(a) Oernhielm IV. I. 41. seqq.

(b) Vastovii Vitie aquilon. & Benz. pag. 77.

(c & d) Distinctivo charactere illo, legati à latere pontificis ab A. Episcopis regnorum discriminari vulgo solent.

(e) Oernhielm H. E. IV. 7. 70. seqq.

(f) Benz. not. in Vasto. p. 77.

(g) vid. not. (e) §. praeced.

(b & i) vid. not. (f) bujus §. adde prolegg. ad Saxon. Gramat. Stephanii p. 18. neope, cum ad Sveo-Gothos fugitivo Danorum A. Episcopo hospitium ante modo praestitisset Verendia, ad habendum vicera gratiae eandem exuli illius pastori; & quantum in se retundendum aegide / a telorum impatum, quem in eundem vi fortior intentaret, quis non Absalonem obstrictum aixeu*ri* vide si Saxon. Gr Stephanus pag. 298. fin.



## Glückwünschung

An

Seinen Freund

Blus zuilli Den Herrn Auctoren.

Als Er das erste mahl von BEHENDEN  
disputirte.

**B**n diesem Werke Ihr, mein Freund, habt wohl geschrieben  
**V**on BEHENDEN, und zeigt wer erst dies steuer nahm;

Wie sie Leviten ist ein unterhale geblieben,  
 Und wie ein theil davon in GODES Kasten kam.

Ihr zeiget auch, wie sich, der Pabst, der GODES Affe  
 Die BEHENDE cent pro cent zu nehmen understand.

Wie ZEPULU führte ein in Schweden solche straffe,  
 So Swedische beutel taht im kurzen leet und wund.

Ich könnte vieles noch zu Euren rahn bezeigen,  
 Wie viele nettigkeit in diesem werke prangt.

Mein mynd mag doch da von aniko stille schweigen,  
 Weil Ihr schon, ohne dem, von jedem danc erlangt.

Der himmel segne Dich! und kröne Dein bewilken!  
 Es treffe stets Dein fleis viel wohlergehen ann!

Was unglück heist und ist, das müsse von Dir fliehen!  
 Es wende sich zu Dir was Dich vergnügen kan!

CARL MAGNUS SIERCKEN

Junior.